

DISSERTATIO ACADEMICA  
DE ORUM CUM MORTALIBUS  
IMMEDIATE HABITA COMMERCIA  
EX HOMERO ILLUSTRATA.

SISTENS,

CUJUS

PARTEM INITIAM,

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNSIS,

PRÆSIDE

JOHANNE BONSDORFF,

*Litter. Græcar. Profess. Ord.*,

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

PUBLICÆ BONORUM CENSURÆ OFFERT

CAROLUS JOANNES BOY,

*Satacundenfis.*

f

In Audit. Med. die XII Junii MDCCCXIX,

b. a. m. s.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

САДИМЕДО АСТАНГАЛА

СИЛАСТРО МОЛДОВОГО  
АГИАНОУ ДІЯВ АКІСУКИ  
І ТАПІРІЛІ БІЛЖОН ЖЕ  
СІЛДАСТЫРЫЛЫСЫНДАРЫ  
СІЛДАСТЫРЫЛЫСЫНДАРЫ  
СІЛДАСТЫРЫЛЫСЫНДАРЫ

МАЙМЕ МІХІЛАТ

АСАСЫРЫЛЫСЫНДАРЫ

СОЛДАТЫ САДАРЫ

САДАРЫ САДАРЫ

dam concitasse (*y*): Neptunum, seni viro similem, dextra Agamemnonis prehensa, spem ipsi melioris in prælio fortunæ, quam qua eo usque frui sibi licuit, fecisse (*z*): Apollinem, sub Afii forma, Hætori, ad Scæas usque portas fugato, adstitisse, &, ut jam in Patroclum furibundum irrueret, suaforem exstitisse & auctorem, eoque pacto, cum diætis quoque paruisset Hector, Patroclum tandem suisse interfectum (*a*): Neptunum atque Minervam, mortali specie, suafisse Achilli, ne Xanthum inundantem curaret, verum hostes fugientes insequi pergeret (*b*): Irin, Deorum celerem Nunciam, nunc Polites forma conspicuam, Trojanos de Græcorum adventu, nunc Laodices sub specie, Helenam de singulari, quam Paris & Menelaus ingressuri erant, pugna, certiores fecisse (*c*): Mercurium, filii Polyctoris sub specie, Priamo, ad castra Græcorum per silentium noctis tendenti, obviam factum, se viæ ducem præbuisse atque comitem (*d*): Minervam,

ad-

---

*y) Il. V:* 461 *f.*, 784 *f.*, *XIII:* 43 *f.*, 206 *f.*, *XVII:* 70 *f.*,  
322 *f.*, 544, 582 *f.*, *XX:* 79 *f.*

*z) Il. XIV:* 135 *f.*

*a) Il. XVI:* 712 *f.*

*b) Il. XXI:* 288 *f.*

*c) Il. II:* 786 *f.*, *III:* 121 *f.*

*d) Il. XXIV:* 334 *f.*

adscita Mentes (Regis Taphiorum, qui, hospes quondam Ulyssis, ipso absente, ad Ithacam appulerat) forma, non modo spem Telemacho, quod cito redditurus eset pater, excitasse, verum etjam variis eidem adfuisse consiliis (*e*): eandem Deam, sub specie Mentoris (viri cum Ulysse conjunctissimi, qui suæ curæ, ex voto Ulyssis ad Trojam proficiscentis, commissam habuit ejus familiam, ipseque Telemachus, iter ad Pylum facienti, fidelis erat comes (*f*), Telemachum, consulendo, admonendo, instruendo, corrigendo, adjuvasse (*g*); virginis vero habitu Ulyssi obviam, viam monstrasse ad Regiam Alcinoi, bonaque ipsi ceterum, quo benigne atque hospitaliter a Rege exciperetur, dedisse consilia (*h*); itemque, humana sub imagine, locum, ad quem usque, multo longius quam Phœaces, discum projecisset Ulysses, signasse (*i*); ut & opilionis forma præditam, Ulyssi, Ithacam appulso, ubinam gentium eset, indicasse (*k*): Deum immortalem, Mentoris simillimum, Ulyssi, dum procis interficiendis eset occupatus, adstitisse (*l*):

Mi-

---

*e*) *Od. I:* 105, 200 *f.*

*f*) *Od. II:* 225 *f.*

*g*) *Od. II:* 267 *f.*, 399 *f.*, *III:* 14 *f.*, 75 *f.*, 230 *f.*

*h*) *Od. VII:* 19 *f.*

*i*) *Od. VIII:* 193 *f.*

*k*) *Od. XIII:* 221 *f.*

*l*) *Od. XXIV:* 442 *f.*

Minervam, ejusdem Mentoris sub specie, Ulyssi quoque, cum Ithacensium sedatum prodiret seditionem, advenisse auxilio (*m*): immo, Deam hancce Trojanis inimicam, non solum, sub specie Laodoci, Pandaro, ut Menelaum sagitta peteret (eaque ratione flammam belli denuo excitaret), suaſſe (*n*), verum etiam, sub specie Deiphobi, Hectori consilium (re vera, ut eventus docuit, pesimum), Achilem manendi & irruentem excipiendi, attulisse (*o*). — Ubi vero Di apud Homerum pugnæ feruntur participes, nulla imaginis, qua uſi fuerint, mentione facta, vel in his locis homines haud raro videntur intelligendi. Referente ex. gr. Homero: Diomedem Veneri, cum in eo esset ut filium dilectum Æneam, graviter ab ipso percussum, protegeret & e prælio deducendum curaret, vulnus in manu inflixisse, tandemque Apollini, postquam Dea filium remisisset seque ipsam subduxisset, contigisse Heroëm eripere & ab impetu Diomedis insequentis vindicare (*p*): Minervam vero, curru juxta Diomedem conſenſo, ſcuticam corripuiſſe & habenas, equosque in Martem direxisse; hunc autem quam primum asſecuti fuissent, rem bene adeo cesiſſe, ut Diomedes Martem vulnerarit (*q*); quis

*m) Od. XXIV: 501 f.*

*n) Il. IV: 78 f.*

*o) Il. XXII: 226 f.*

*p) Il. V: 311 f.*

*q) Il. V: 826 f.*

quis unquam dubitet, his Deorum Dearumque nominibus, non Deos cælestes, aut etiam familiares genios (quæ quondam AMMIANI MARCELLINI (*r*) erat opinio), sed viros fortes atque cordatos, significari, licet, quinam fuerint, aut ad Poëtæ non per venerit memoriam, aut proprius definire neglexerit. Pariter quoque, cum apud Homerum legimus: Neptunum extraxisse hastam Achillis e clypeo Æneæ, eamque ante pedes Achillis collocasse (*s*): Miner-  
vam item reddidisse, & Achilli, hastam frustra in Hectora conjectam (*t*), & Diomedi, manibus elapsam scuticam (*u*): eandem Deam Pyliis de hostili Eleorum exercitu adventante nuntium attulisse (*v*): Irin nuntiasse, Achilli, quod cadaver Patrocli periculo jam subeset auferri ab Hectori (*x*), itemque Priamo, quod sibi liceret Achillem adire & de redemtione Hectoris transfigere (*y*); quis dubitaverit, his, ut & aliis bene multis, locis, veros homines (Praecones fortassis, *Fovis atque hominum nuncios* (*z*), locis postremis) esse intelligendos, & quidem tanto

---

*r)* Reg. gestar, L. XXI: C. XXVIII.

*s)* Il. XX: 322 f.

*t)* Il. XXII: 276 f.

*u)* Il. XXIII: 380 f.

*v)* Il. XI: 713 f.

*x)* Il. XVIII: 166 f.

*y)* Il. XXIV: 171 f.

*z)* Il. I: 334, VII: 274.

tanto majori jure, quod vel ignotos homines per se, ubi aut externa forma cultuque, aut virtute quadam, præstiterint, in primis repente & ex improviso advenientes errores atque hospites, ut Deos sibi haud raro fixerat superstitione Græcanica, perinde ac hospites incogniti, secundum Orientalium philosophiam, Angelorum nomine venerant (*a*). Ipse namque Homerus commemorat: dubium fuisse Ulyssem, utrum Nausicaa, Regis Alcinoi filia, quam, sibi prorsus ignotam, supplex appropinquavit Dianaque, forma, statura & oris habitu, simillimam duxit, aliqua esset immortalium, nec ne (*b*): Politen, cum ad Circes domicilia venisset vocemque feminæ pulchre intus canentis audiisset, dubitasse, an Deam canentem audiverit, an feminam (*c*): Tele-

E machum

---

*a)* Immo TERTULLIANUS *Apologet.* C. X. humanæ meminit consuetudinis, qua ignoti, vel ex inopinato apparentes, de coelo superuenisse dicuntur. Tacemus, vel nostris auribus familiarem esse vetustam hanc loquendi consuetudinem.

*b)* *Od. VI:* 149. — Haud itaque mirabimur, senes Trojanorum, uti Helenam ad turrim venientem animadvertisserint, eam vultu immortalibus Deabus similem judicasse (*Il. III:* 156 *f.*), atque Castianiram quoque, ob pulchritudinem suam, Deabus corpore similem vocari (*Il. VIII:* 305). — Immo gressus facilitate Dii, ex philosophia antiquorum, eminebant. Agnoverat sc. Ajax, Ölei filius, Neptunum (sub specie Calchantis) e facili gresu (*Il. XIII:* 70 *f.*)

*c)* *Od. X:* 226 *f.* coll. 254 *f.*

machum habuisse Mentem modo laudatum, qui hos-  
pes, Telemacho ignotus, ad domum venerat Ulyssis,  
pro Deo, & quidem Minerva (*d*); quod idem de  
Mentore, prudentissimo Telemachi ad Pytum comi-  
te, Nestor quoque opinatur (*e*): Nausicaam, veri-  
tam, ne vijoris fortis homines, ubi Ulyssem se ad  
domum patris comitantem animadverterint, sibi ap-  
probrio dicent, ipsam noctam fuisse quendam, qui  
se duceret, aut hospitem, aut errantem, aut Deum  
e cœlo delapsum, Ulyssi injunxisse, ut, propius ad  
urbem cum iam pervenissent, a tergo relictus, non-  
nisi postquam Nausicaam cum suis ancillis regiam  
attigisse conjecterit, ipse tandem accederet (*f*): quin  
& ipsum Alcinoum, quum advenisset Ulysses, hæfita-  
se, utrum eum ut Deum suspiceret, an mortalium  
haberet numero (*g*): immo procos Penelopes An-  
tinoum, qui infelicem erronem (Ulyssem puta) per-  
cussisset, eo ex capite objurgasse, quod nondum li-  
queret, si vel aliquis esset Deorum cœlestium, quip-  
pe Dii, hospitibus similes peregrinis, quamecumque  
formam & speciem admittendi facultate gaudentes (*h*),

ver-

---

*d)* Cfr. *Od. I: 323, 420, 444, II: 262.*

*e)* *Od. III: 371 f.*

*f)* *Od. VI: 255 f.*

*g)* *Od. VII: 199.*

*h)* Hinc neque mirum est, Telemachum, quum patrem Ulys-  
sem (adhuc sibi ignotum) decentiori forma & vestimentis,

versentur per urbes, hominum insolentiamque probitatemque inspecturi (*i*). Sed hæc hactenus.

Quod denique ad immediatam immortalium cum mortalibus per somnia communionem attinet, observasse non poenitet, omnes omnino gentes antiquas, quia imagines per phantasiam sive vigilantibus sive dormientibus oblatas ex ipsis, animo insitis, facultatibus, imaginandi præcipue fingendique, derivare non intellexerant, imagines istas ut vera, extra hominem posita, divinitus immissa, futurasque adeo res spectantia, objecta sibi concepisse, auresque hinc prophetis somniorumque interpretibus, qui & magno tam temporis oberrabant numero, dedisse facillimas; pergente autem tempore nonnisi inexspectata & extraordinaria somnia ut *Geopneusa* vel *Geopeumpta* (*k*) considerasse. Quum itaque

quam antea, præditum atque ornatum adspexisset, usque ad eo obstuuisse, ut non jam mortalem, sed Deum quendam, sibi apparuisse crediderit, nec nisi ægre admodum, ab errore, dum se ut patrem revelavit Ulysses, revocari potuerit (*Od. XVI. 178 ss.*).

*i) Od. XVII. 483 ss.*

*k) Cf. PLUTARCHUS de placitis philosophorum L. V. C. II.  
ARTEMIDORI oneirocritica L. I. C. VI. (sec. Edit. Reit-  
stianam), Liber Jesu Siracidis C. XXXI. (sec. alios C.  
XXXIV.) v. 1 — 8.*

que apud Homerum, ex cuius item philosophia  
 $\omega\mu\varphi$  ex Διοῖς εἴσιν (l), relatum legimus: ipsum som-  
nium, ex mandato Jovis, dormienti adstitisse Aga-  
memnoni, eique, sub specie Nestoris, ut copias jam  
omnes armaret, quia Trojam tandem ex decreto  
Jovis esset capturus, persvasisse (m): Minervam ef-  
fioxisse idolum, Iphthimæ, sorori Penelopes, simili-  
lum, illudque ad Penelopen, gravi ob filii Tele-  
machi inopinatum discesum dolore correptam, jam  
vero dormientem, consolandi gratia misisse; hanc  
autem, somno experrectam, quia ad auroram su-  
pervenerat somnium, consolatione ista levatam fu-  
isse speque revisendi filii impletam lætissima (n):  
eandemque Deam, forma filiae Dymantis admisita,  
Nausicaa dormienti apparuisse in somno, & ut ve-  
stes, simul ac aurora illuxerit, egredierentur lava-  
tum, suassisse (o); — in his quidem & quæ ejusdem  
sunt

l) *Il. I: 63.*

m) *Il. II: 5 f.*

n) *Od. IV: 795 f.* — νύκτος αὔρωπης v. 841. crepusculum,  
non vespertinum, sed matutinum significare videtur; tem-  
pore namque matutino vera, ex opinione antiquorum,  
cernebantur somnia: unde OVIDIUS *Heroidum Ep. XIX:*  
v. 195 & 196. "namque sub auroram, jam dormitante lu-  
cerna, — somnia, quo cerni tempore vera solent". Cfr.  
MOSCHI *Europa* v. 5, itemque ARTEMIDORUS *L. c. C. VII.*

o) *Od. VI: 2 f.*

sunt generis relationibus frustra omnino aliud quidquam, quam visa somniorum naturalia, ad seculi genium exposita, quæsierimus.

### §. III.

Summa ergo dictorum huc redit: Homericas de immediato Deorum cum mortalibus, tam simplici, quam symbolico, commercio narrationes non nisi respectu ad veterum Theosophiam seculique Trojani & Homerici præjudicia atque genium habito esse interpretandas, nulloque hinc pacto res vel *præter*, vel *supra*, vel *contra* naturam & rationem involvere. — Valebit autem hoc, non solum de rerum momentis, quæ fama Homerus acceperit, verum etiam de iis, quæ ad probabilitatem poëticam, pro sui temporis genio, finixerit. Quod si enim quis unquam Poëta Horatianum illud præceptum (*p*):

*"Famam sequere & sibi convenientia finge"*  
expleverit, Homerus suo certe in hac parte exemplo aliis præluxisse censendus. — Ut vero *opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat* (*q*), ita neque quisquam, cui sanum est sinciput, nostro jam ævo, quo *εἰς ἀνδρα τελεων* humanum genus excrevisse merito dixeris, quod Homero reliquisque antiquis Scriptoribus veri videbatur simile, probabile duxerit.

---

*p) Art. poët. v. 119.*

*q) CICERO de nat. Deor. L. II. C. II.*

---

